

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXV

urn:nbn:de:bsz:31-97032

ribus *Kali* plantæ sal conficitur. Hic dissolutus cum contritis lapidibus pro vitris conflandis inpatans veluti pinguedo; quæ refrigerata durefcit lapidis instar, atque axungia vitri vulgo dicitur; pulverizata dentes mire nitidos reddit. *Plater. l. 2. de vit.* Tota planta ab ima sui parte ad cacumen usque pellucido perpolitur virote, quæ nec hybernis quidem emoritur mensibus. quin diu durat laquearibus quamvis affigatur. Ovibus gratissimum præbet pabulum. Cum enim hæ pecudes, cæli statu humido strumolis obnoxia sint tumoribus, hujus herbæ pastu recreantur & malum discutiunt. *Lemn. l. 3. Occult.*

CAPUT XXV.

DE LAURO, LENTISCO
ET LINO.

Laurus vim ignem ex sese producendi habet: Nam si exsiccata ramus frequentius affricetur ramo, super asperso sulphuris pulvere, ignis statim exilit. *Mathiol. in lib. 1. cap. 90.* Perpetuo fronde viret, tantæque pollet vi, ut ejus atvis in ramo defixis, pestis segetum rubigo abigatur, transeatque in earum folia. Romæ à Jove de cælo missam veterum opinio erat. *Plin. l. 15. cap. 30.* Namque Livie Drusillæ, quæ postea Augustæ matrimonii nomen accepit, cum pacta esset illa Cæsari, gallinam conspicui candoris, sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam. Intrepide miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem & sobolem jussere aruspices, ramumque conseri ac ritè custodiri. Quod factum est in villa Cæsari, fluvio Tiberi imposita, juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur, Ad Gallinas, mireque sylva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar, Laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit. Sola inter arbores fulmine non percutitur, nisi in futura calamitatis prodigium; ac ne quidem domus in quibus rami

idum

ictum pati dicuntur. Proinde Tiberius fulminibus ter-
 ritus, tonante cælo Lauro coronabatur. Lapideas in
 mari rubro esse scribit *Theophrastus* 4. de plant. c. 8.
Lentiscus folliculos profert corniculi modo intortos,
 in quibus includitur liquor limpidus, qui tandem vete-
 rascentis vertitur in bestiolas iis persimiles, quæ ex ulmi
 & terebinthi folliculis evolant. Ex *Lentisco* vulne-
 rato, in *Chio* Insula *Ægei* maris fluit mastiche; quæ
 in terra circumpavita conpressit. *Mathiol.* l. 1. c. 45.
Lini oleum, si sæpius destillaveris, inquit *Baptista* *Por-
 ta* l. 10. *Mag.* c. 9. adeo mirabilem vim incendendi
 retinet, ut vix vase claudi possit, quin ignem ad se allu-
 ciat, & reserato vase, adeo tenue est, ut aërem spiriti-
 bus repleat. Quod si lumen candelæ aut ignis tetige-
 rit, accenditur aër, & ex eo oleum accensum flam-
 mam eminus jaculatur, eamque vehementem, ut im-
 possibile fere extingui. In *Indiæ* desertis nascitur rus-
 sum, in igni durans & nobilius inde evadens. Enascit-
 ur ex saxis veluti efflorescendo tanquam in rectum as-
 surgens, pilus brevis, & ob hoc difficilis textu. *Liban.*
 l. 2. c. 7. de *Bombycib.*

CAPUT XXVI.
 DE LARICE, LILIO,
 Lysimachia, & Loto.

Laricem non aduri quidam inter præstantissimos
 scripsere; & nos supra adduximus ex *Lemnio*: id
 falsum compertum est. In *Tridentinis* montibus fit
 ferrum, in quibus fornaces larigna materia cale-
 fiunt; imo à nullo ligno magis liquefiunt metalla. Et si
 lapides bitumen redolentes accenduntur, quid de resino-
 so ligno dicendum? *Lilia* totum annum durabunt
 viridia, si cum occlusa silent, nec dum patentia de-
 hiscunt, decerpta novis fistilibus non picatis, indito
 diligenter operculo, recondantur. *Math. ex Anato-
 lio* in l. 3. *Diosc.* c. 99. Cum intermedio tempore
 promuntur ad usum, statim ad Solem producta, sen-